

sancti ascendisti, et quanto ascensus altior, tanto A descensus, ne dicam casus, gravior. Proinde obsero te, charissime, ego tuus Petrus jam ex solo auditu pro te usque ad effusionem animæ vulneratus, ne mihi dolorem super dolorem adjicias, ne clero, populo, et diabolo materiam risus prebeas, ne te moveas ne in felici ascensu ubi non est voli fractio, sed integratio, ubi non est metus, timeas.

Tibi, frater Petre, incognitus facie, absens corpore, præsens autem spiritu, et devoto corde consulo, et ad pedes profusus anxie et obnixe supplico, ut non obtente pristinæ ad quam suspiras quietis te et alios inquietare incipias. Vera enim quies est in ordine Cisterciensi, ubi Martha Mariæ jungitur (*Luc. x.*), ubi, juxta verbum Sapientis, et agenti quiescendum, et quiescenti agendum. Sane quod B de priore quiete et otio objicis, ut pace tua loquar, ita sine questione omni procul est a ratione, ut responsione non indigeat : ubi enim plus silentii, plus jejunii, minus sollicitudinis mundanæ, et ideo plus contemplationis et sanctæ quietis, quam in ordine Cisterciensi? Quiescat ergo, quiescat ista tua communio, et dum parvula est, allidatur ad petram, dura vulpecula parva est, capiatur, et in matutino occidatur, ne demoliatur vineam Domini, id est conscientiam tuam : ne sub obtentu cujusdam vanæ quietis, ad pisces, non dico Ægypti, et ad alia, non dico Pharaonis, videaris suspirare. Invalidæ sunt ad exprimendum quod super tuis et fratris Willæmi phantasticis illusionibus sentio, litteræ; sed tu cum fratre Willæmo ex paucis multa perpende : consilium meum est, inq. ut paululum audacius loquar, sacrae Scripturæ mandatum, ut in ordine Cisterciensi sic curratis, sic in agone contendatis, ut bravium æternæ vocationis feliciter comprehendatis.

De te nunc, Wido, minus ad præsens sollicitus sum, tibi novissime non tanquam abortivo, sed quasi perfectio, cui non opus lacte, sed solido cibo solitati tue congratulans pauca scribo more ma-

tris, quæ magis anxiatur circa parvulum et debilem filium, quam circa fortem et perfectum. Tu ergo robustus in Domino alios conforta, viriliter agens, argue, obsecra, increpa; opportune, impotente (*II Tim. iv.*). Arduus quidem est ordo Cisterciensis, sed tendit in ardua virtus; siquidem juxta verbum philosophi

... *Serpens sitis ardor arenae,
Dulcia virtus gaudet patientia duris.*

Experciscimini ergo gloriosi milites Christi, mementote quia transit mundus, et figura, et gloria, et omnis concupiscentia ejus. Valete. Magistrum Arraudum, fortem et prudentem Christi athletam salutat anima mea, et per vos orationum munus ab eo expostulat.

PISTOLA CLXXVII (81).

AD LUDOVICUM REGEN.

(DUCHESNE, *Script. rer. Franc.*, IV, 678.)

Piissimo regi Francorum Ludovicō, dilecto et illustri Domino, P. Dei miseratione ecclesiæ Sancti Remigii humilis minister, temporali felicitate feliicitatem promererit sempiternam.

Mandastis mihi palefridum, qui ad opus vestri faceret, talem sane nullum habeo, sed habere quam citius potero non differam, nec dissimulabo. Quod si forte non potero talem invenire qui vestra dignus gratia videatur, hoc ipsum vobis remandare, et alio genere servitii recompensare, usque ad festum Sancti Andreae sollicitus ero. Sciatis enim, quod ad serviendum vobis major mihi semper fuit, et adhuc est animus, quam facultas. Miror autem quo animo acceperitis servitia quæ vobis præterito anno exhibui, quippe cum needum rescire potuerim, nec adhuc mihi innotuerit vos scire, vel gratum habere quod vobis miserim copiam quatuor marcarum, et Domino nostro rhedam trium equorum occasione vestri servitii et causa commodaverim, quos nunquam rehabui. Valeat excellentia vestra.

(81) Nova.

ALEXANDRI III PAPÆ

PISTOLÆ LVI

AD PETRUM ABBATEM S. REMIGII ET ALIOS

(Harum epistolarum scriem, quam primus evulgavit Jacobus Sirmondus, jam edidimus inter Alexandri III Regesta, *Patrologia* tom. CC.)

